



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XI. Romana census. De aditione hæreditatis resultante ex actibus facti, an, & quando adesse dicatur, necne, ubi impugnetur per eum, in cujus præjudicium aditio allegetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

rant, ex eis effecti essent locupletiores, quia nempè cum exuberantibus aliquas fecissent acquisitiones, ita ut pro hac rata dici possint fructus verè, vel æquipollentes extantes; Iste enim casu, cum cessarent omnia, quæ in jure habentur super excusatione à perceptis, & consumptis ratione bonæ, vel saltem non malæ fidei, atque dicti fratres agerent potius de lucro captando, probabilius dicendum videbatur in eos, qui consumpti sunt, referri prius debere proprios, quàm alienos, ita ut isti exuberantes ut potè referendi ad alienos, deberent eorum domino restitui; Secus autem in casu converso, ubi scilicet omnes bonâ fide consumpti essent, quia nempè fratres crederint, quod per fratrem effectum religionum essent neglecti, & remissi, dum hæc probabilis credulitas excusare videtur à consumptis, quorum restitutio importaret damnum de proprio in sorte contra omnem æquitatem, & communem usum; Incertum autem est quid sequutum sit, credo autem quod honesta concordia controversiæ finem dederit.

## ROMANA

## CENSVS,

PRO

LAURENTIO CIANTES.

CUM

FRANCISCO STELLA.

*Casus decisus per Rotam pro Francisco.*

De aditione hæreditatis resultante ex actibus facti, an, & quando adesse dicatur, necne, ubi impugnetur per eum, in cujus præjudicium aditio allegatur.

## SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
- 2 De Rota decisionibus præsupponendis.
- 3 Resoluto causa.
- 4 De aditione hæreditatis ex actibus facti.
- 5 Declaratur quando id procedat.
- 6 Quando ista quæstiones decidenda sint.
- 7 Quod aliquando resolutiones prodeant ex motivo æquitatis, sed ad corroborandas decisiones, adducantur conclusiones generales.
- 8 De titulis, ad quos actus referri poterant.
- 9 Etiam si titulus non subsistat, sufficit ejus credulitas, & de ratione.
- 10 Declaratio animi contraria multum attendenda est.
- 11 Aditio hæreditatis in minore vel muliere exigat solemnitates statuti.
- 12 Tutor male agit ad eundem hæreditatem sine inventario.
- 13 De aditionis ratificatione.
- 14 De restitutione in integrum, ob justam opinionem remissivæ.
- 15 Monumentum quomodo deferendum sit decisionibus.

## DISC. XI.

Defuncto Martio Jordano, superstitibus Marcello, & Paulo filiis; Cum defuncto etiam Marcello, Societas Sacramenti Sancti Laurentii in Damaso Martii cre-

ditrix, pulsasset Paulum tanquam hæredem, qui dictam qualitatem negabat, hinc assumpta de super disputatione in Rota coram Bichio sub die prima Junii 1641. incidenter occasione remissoria firmatum fuit constare de aditione per actus facti, ut liquet ex decisione, quæ habetur impressa decis. 48. par. 9. rec. & inter illas Bichii decis. 66. Dicta verò lite per concordiam sopita, post longum intervallum, coram Judice particulari, Franciscus Stella cõtra eundem Paulum, seu Laurentium ejus interim defuncti hæredem, cum præsupposito dictæ hæreditariæ qualitatis plures excitavit prætensiones; Cumque pro stylo decisiones præsertim super statu veniant præsupponendæ etiam in Rota, multò magis coram Judicibus inferioribus, donec revocentur, & quatenus etiam stylus rigorosè non intraret, (cum verè & propriè ille procedat in eadem causa, & inter eadem partes) adhuc tamen sint magnæ auctoritatis, neque soleant judices in contrarium judicare; Hinc proinde, ut frequenter contingit, reassumpta fuit ejus revisio coram Bevilacqua subrogato, coram quo sub die 20. Junii 1659. pro confirmatione responsum fuit, unde propterea per concordiam, istam quoque controversiam terminare oportuit.

In hac igitur ultima disputatione coram Bevilacqua, in qua solum scripti pro Laurentio impugnando decisionem, (cum de tempore primæ ad Curiam adhuc non accessissem) Non negabam generalem theoreticam Bartoli in l. gerit. nu. 21. ff. de acquir. hæred. cum concord. in eadem decisione deductis, ut hæreditatis aditio, nedum verbis, ac expressè fieri possit, sed etiam tacitè, seu implicite, ac per actus facti, possidendo scilicet bona hæreditaria, sive illa vendendo, aliaque faciendo, quæ citrà jus, & nomen hæredis fieri non possunt, quos actus plenè reassumit, Menoch. lib. 4. præf. 101.

E converso autem Scribentes in contrarium non negabant ejusdem theoreticæ declarationem, seu moderationem, in decisione quoque admittam, de qua apud Menoch. ubi supra Cyriac. contr. 244. nu. 27. & seqq. Capyc. Larr. decis. 13. nu. 10. Gregor. decis. 460. Buratt. & add. decis. 207. & passim, ut id procedat, quando agatur de actibus omninò univocis, ac per se esse concludentibus, qui citrà jus, ac nomen hæredis fieri non potuerint; Secus autem dato alio possibili titulo vel jure, ex quo illi fieri potuerint, cum tunc aditio non resultet, quoties ista non allegatur per ipsum filium ad ejus favorem, sed per creditores, & alios in ejus præjudicium; Tum quia actus in dubio referendus est ad illum titulum, qui sit facienti utilis, magisque proficiuus; Tum etiam quia aditionis præsumptio fundata est in exclusione delicti, quod aliàs resultaret, possidendo bona aliena eaq; alienando, sive aliàs de eis disponendo ex eadem ratione, ob quam habetur pluries sub tit. de legit. & de rat. conclusio super electione bonorum alienatorum ad terminos texius, in l. Marcellus ff. ad Trebell. & consequenter ubi alter dari potest titulus, tam delicti, quàm præjudicii exclusivus, huic potius tales actus referendi veniunt.

Hinc proinde, tam istius, quàm multarum aliarum similium controversiarum occasione frequentissimè habità, cum videatur articulus in foro penè quotidianus; Dicere consuevi, quod ista non est quæstio juris, sed nudi facti, & applicationis, ex cuius defectu intellectus non acquievit huic resolutioni, dum ex decisionis tenore constat processum esse cum theoreticis generalibus, in se veris, quando (ut dictum est) actus remaneant univoci, ad alium titulum non referibiles; Secus autem isto accedente, cum tunc pariter vera & indubitata sit limitatio; Ideoque

De LUCA  
de  
Stamentis  
et  
cvi

Ideoque totus punctus hujusmodi controversiarum est, an versemur in una, vel altera propositione, seu theoria, quod pendet à nudo factò, ejusque circumstantiis.

His autem attentis, in hac facti specie restricto jure pro non additione omninò respondendum videbatur, nisi dicamus quod processum fuerit ad favorem actoris cum quadam non scripta æquitate; Propositiones autem generales, quamvis ad rem non applicabiles, deductæ fuerunt pro ornatu decisionis, quæ de stylo Tribunalis perneceffe in qualibet resolutione edenda est, ut advertitur *sub tit. de jud. in relat. Roman. Cur.* occasione agendi de Tribunali Rotæ, dum actor erat dicti Pauli nepos ex sorore, seu aliàs arcto gradu conjunctus, ac nobilis, bonis fortunæ non multum provifus, eoque neglecto, extraneum amicum instituerat juxtà seriem, de qua *sub tit. de fideic. disc. 62.*

Possessio etenim, ac respectivè venditio aliquorum bonorum, & jurium, unde ad hujusmodi additionem inferitur, suam habebat causam, cui referenda veniebat, crediti scilicet dotium maternarum respectu aliquorum bonorum indifferentium, præsertim unius domus venditæ; Et quoad quædam territoria in castro, seu oppido Zagarolæ, ex tenore cujusdam investituræ, seu verius ex quodam Statuto, seu decreto antiquo edito per quemdam dicti loci Ducem Columnensem, constans habebatur, ac etiam hodie habetur opinio, ut ea territoria, quæ à privatis possessa, originaliter proveniunt ab eorumdem Ducu concessionibus, sint feudalia in forma pacti, & providentiæ, unde propterea in eis succedat soli hæredes sanguinis jure proprio, atque non sint transmissibilia ad extraneos.

Et quamvis ubi non adest investitura, quæ ita disponat, id non subsistat, ut in decisione advertitur, atque ego pluries practicavi pro tempore, quo idem Status Zagarolæ stetit penes Ludovifios acquirentes à Columnensibus, saltem respectu cocessionum, quæ dictum Statutum, seu decretum præcedant; Attamen dicebam (etiam in sensu veritatis) eadem, quæ insinuantur quoque *sub tit. de feudis disc. 19.* super puncto, an ex possessione feudi hæreditarii præsertim novi, inferri possit ad titulum hæreditarium, quod cum aditio hæreditatis dicatur actus pendens ab animo, quem lex eatenus præsumit, quatenus ita cogat necessitas excludendi purum delictum intrusionis, & occupationis rei alienæ sine causa, quod aliàs ita resultaret, idcirco attendendus est animus facientis, atque sufficit titulus putativus, seu justè opinatus, cum ad hunc effectum ad eò præjudicalem requiratur animus certus, ac determinatus, qui ubi non habeatur expressus, eatenus à lege præsumitur, vel subintelligitur, quatenus alio titulo quamvis colorato deficiente, præcisè urgeat dicta ratio delicti, ut bene prosequitur *Cyriac. dicta contr. 244. num. 37. cum seqq.* atque ad sensum, ipse discursus naturalis clarè probat.

Clariùs verò ex duplici circumstantia; Primò scilicet quod in eo tempore proximo, præfati Camillus, & Paulus, pulsati à quodam alio creditore paterno, tanquam hæredes, expressè declararunt in actis se non esse tales, quam declarationem in proposito nimium attendendam esse habetur *apud Cyriac. dicta contr. 244. nu. 36. & seqq.* Et de consimili declaratione etiam in casu, quo intererat habere qualitatem hæreditariam, firmatum fuit *per Rotam in Romana retrovenditionis domus, de qua sub tit. de servit. disc. 87.*

Et secundò fortiùs, quoniam dicti Camillus, & Paulus, de tempore mortis patris, remanserunt pu-

illi, vel minores, sub tutela, vel cura patris actoris qui erat etiam ejus hæres, atque aliqui ex his actibus præjudicialibus per eos gesti erant, ipso curatore actorizante, unde propterea, Vel id nullatenus eis præjudicare debebat ex recepta conclusione *hoc eodem titulo, & in altero de alienat. & contract.* ac alibi insinuata, ut actus additionis cadat sub Statuto Urbis 157. ideoque per minores, ac mulieres, absque solemnitatibus ibi præscriptis fieri non possit; Vel quod ipsi actori tanquam hæredi tutoris, vel curatoris respectivè, obstaret exceptio doli, vel altera circumcivitas deducta *ex text. in l. vendicantem ff. de evict.* ob culpam inexcusabilem tutoris, vel curatoris prædicti non adeundi hæreditatem patris juxta communem usum cum beneficio inventarii omnium præjudiciorum præservatio, ideoque actione tutelæ tenebatur sine dubio ad quanti interest.

Atque hinc correre dicebam præcipuum actoris fundamentum in decisione quoque deductum, respondendo ad minorem ætatem, & ad dictam contrariam animi declarationem, quod scilicet facti majores, ipsi ratos habuerint actus gestos tempore minoris ætatis, quodque dicta declaratione non obstante postea in eorum præjudicium poterint mutare propositum; Tum quia verè factum non assistebat; Tum etiam, quia ita justè opinari poterunt, quod eorum tutor, vel curator bene ejus officium egisset, & consequenter, adversus eundem, ejusque hæredem sine dubio præfata exceptio doli intrabat; Sivè quod intrarent eadem, quæ habentur *in Perusina disc. 12.* super justa causa restitutionis in integrum; Ideoque ex pluribus etiam singulariter ponderatis, multò magis simul junctis, dicta resolutio nullatenus in puncto juts probabilis videbatur, verè non habens aliud fundamentum, nisi dictam non scriptam æquitatem, quæ in judicando non sufficit, ubi jus scriptum in contrariam urgeat, unde propterea credebam, quod in revisione pro commendabili Tribunalis stylo, plenius insinuato in dicta sua sede *sub tit. de judic. sperari debuisse recessus, nisi causa finem habuisset ut supra;* Hinc propterea, ut pluries advertitur, monendissimus cautè procedere in deferendo decisionibus, indagando statum, vel exitum causæ, in qua procederunt, ac bene combinando casuum circumstantias, non autem eas attendendo in sola littera pro omnibus casibus &c.

## PERUSINA ADDITIONIS.

PRO

GASPARE DE CRISPOLDIS,

CUM

CREDITORIBUS PATERNIS.

*Responsum pro veritate,*

Aditio hæreditatis, an inducatur per enunciativas in judicio factas, quia ibi comparando quis enuncietur hæres. Et quatenus sic, an adeunti, quamvis majori, adversus additionem competat restitutio in integrum, & de istius restitutionis materia.